



4

1652 F. 8 19

Jesu Benignitate!
DISPUTATIO METEOROLOGICA I.
De

METEORIS IN GENERE.

Quam

Deo Ter Opt. Ter Max. annuente
Amplissima Facultate Philosophica consentiente,
In Illustrissima ac Florentissima Academia Wittebergensi,
SUB PRÆSIDIO

Eximij atq; Præclarissimi VIRI,

DN. M. SAMUELIS POMARI,

Silesii, Amplissimæ Facultatis Philosophicæ Adjuncti

Merentissimi & Dignissimi,

Præceptoris atq; Fautoris sui æternum honorandi,

publicæ ventilationi submittit

JACOBUS BINNERUS Vratisl. Sil.

Autor & Respondens.

Ad diem 6. Martij Anno 1652.

In Auditorio Minori Horis antemeridianis.

WITTEBERGÆ, Excudebat JOHANNES HAKE.

M DC LII.



DISPUTATIO METEOROLOGICA
METEORIS IN
GENERE

DI. M. SAMMEL'S POMARI

JACOBI RINKE'S VALL. FIL.
M. DC. LIII.





Jesu Benedicente!

Partiturus totum Mundum & æquâ libellâ trutinaturus castigatissimus Naturæ Morumq; Magister Seneca, *Omnis*, ait, *de Universo quæstio in cœlestia, sublimia & terrena dividitur*, lib. 2. Nat. qq. c.1. Per cœlestia cœlum, intelligit & sidera. Per terrena agros, terras, arbusa, sata & omnia quæ solo continentur. Per sublimia ea, quæ inter Cœlum terramq; versantur, puta nubila, imbres, nives, & humanas motura tonitrua mentes, & quæcunq; aër facit patiturve. Nos Meteora uno verbo vocamus, quibus etiam Græcia denominationem *sublimitatis* dedit, sive quod pleraq; & potissima æthere in alto circumferantur, sive quod & ea, quæ cœcis sub terræ latebris præter naturæ suæ inclinationem ac tantum non in carcere violento detinentur, egressum nihilo secius subinde moliantur, ac ubi potestas erumpendi fiat,

quâ data porta, ruant, & terras turbine persent.

Ubi nescio equidem, si tres Universi partes componere velimus invicem, annon ista, quæ circa sublimia versatur, duabus cæteris, quæ cœlestia & terrena comprehendunt, palmam si non præripiat, ambiguan certè reddat, ac ut ordine & situ, ita præstantiâ quoq; seu excellentiâ medio incedat loco. Sive namq; dignitatem Meteororum summam, sive varietatem admirandam, sive potentiam horrendam, sive jucunditatem eximiam, sive utilitatem infinitam curioso mentis corporisvè lustremus oculo, magna ubiq; maximi Dei occurrunt ostenta ac prodigia, qui mirabilis in altis est. Quo factum, ut non semel contemplationes Metereologicas ipse sacer codex mirum quantum commendet nobis; cum sive Magistrale Examen cum Jobo Jehova instituit de Patre pluviae, de nivis genitore, de glaciei & gelu matre, sive David grandinem & nivem, glaciem & procellas in laudis creatoris ciet, sive Si-

racides arcum inspectare jubet & benedicere eum, qui fecit illum, sive Christus ipse rubedinem matutinam & vespertinam diei nubilæ ac serenæ præfagia constituit. Rem itaq; Naturæ Nobisq; commodam, Deo verò gratam præstiterim, si generaliori Meteororum considerationi diligentius paulò vacaverimus, & hanc Dissertationem de Meteoris in genere instituamus. Faxit Deus ut institutum hocce nostrum cedat in nominis Divini laudem & nostrum omnium frugem!

SECTIO PRIOR
THEOREMATICA.

Theorema I.

Meteora sunt Effluviolorum Affectiones, modò in hâc, modò in aliâ formâ ea representantes.

Ἐκθεσις.

§. 1. Descriptionem Meteori potius hîc quam Definitionem accuratam damus. Nam quia vocabulum Meteorum est aliquid concreti, concreta verò in Prædicamentis nullum sibi designatum inveniunt locum, proindè & Logicè definiri nequit. Nolumus tamen omnia ad unguem rescicare, ac nimis ἀκροβολογεῖν, sed cum Eruditis sapiendum & cum vulgo loquendum ducentes, Orationem hanc propositam resolvemus in Definitum & Definitionem.

§. 2. *Definitum est Meteorum.* Cujus ut exhauriamus totum complexum, prænotabimus ejus tum Etymologiam, tum Homonymiam, tum Synonymiam.

§. 3. Quoad *Etymologiam* vocabulum est origine Græcum, & quidem compositum ex Præpositione μετὰ, quæ variis junctis casibus, variè significat, præprimis verò exponitur per longè, procul, post; & Nomine εἶρα, quod suspensionem, elevationem, sublimamentum, & suspendium denotat. Alii deducunt à μετὰ & αἶρα vel αἶρω, quod significat elevo, attollo, suspendo. Ratio denominationis est, quia pleraq; Meteororum in alto & medio aëris contingunt, & quasi suspensa sunt; aut juxta alios, quod reddant animos hominum suspensos ac elevatos, aut quod non saltim sint sublimia, sed & ad sub-

ad sublimium rerum speculationes nos ducant & alliciant, ut scrutemur illorum ortum, causas, figuras ac portenta. Hinc & Medicorum distinctio inter ἐναίωμα, seu suspensionem, ὑπόσιον seu sedimentum & νεφέλην seu nubem, quando Essentialia Urinæ contenta expediunt.

§. 4. Ad *Homonymiam* quod facit, præcipua ac primaria vocis Meteorum significatio est, quod denotet altitudinem elevationem ac erectionem. Hinc Thucydides locum quendam editiorem vocat meteorum, οἱ ἢ λοιπὸν Διαφύγοντες πρὸς τὰ μετέωρα ἠσύχαζον, confugientes ad loca editiora. Et rursum alibi: ἀπὸ τῆς μετέωρα εἰς superiore loco. Idem navim μετέωρον dicit quæ altum tenet. Eodem pacto usurpat etiam Demosthenes hanc vocem de navi in alto constituto, ac cursum suum perficiente: Ita Xenophon μετέωρον usurpat de equo, qui posteribus innixus pedibus, anterioribus sursum erectus stat. Hoc ergo pacto Meteora nobis dicuntur phasmatâ talia, quæ erecta & elata sunt, ac in sublimitate elatitudine posita, ita quidem ut quod aliàs contingit, hic quoq; à potiori fiat denominatio, quæq; animos hominum in suspensio teneret, cum considerantur accuratius.

§. 5. *Synonymia* tandem non plane insuper habenda est. Quanquam verò Vocabulum hoc Meteorum sit origine Græcum, Civitate tamen Latina donatum est. Senecæ lib. 2. Natur. qq. c. 1. vocantur sublimia. Communiter salutantur etiam Impressiones, & hoc ideò, vel quia aliam novam formam aeri imprimunt, ac rursum celerrime corrumpuntur, vel quia in aere à causa extrinseca impressa cernuntur, vel deniq; quia cœu imagines quædam aeri imprimuntur, sicuti ceræ sigillum quoddam imprimitur. Possunt & dici Affectiones & turbationes aeris, commotiones hominum, terriçulamenta animantium.

§. 6. *Definitio* ipsa constat Genere & Differentiâ specificâ.

§. 7. *Genus* diximus esse *Affectiones*. Quod vocabulum non adeò rigorosè & in sensu Transcendentali seu Metaphysico, sed laxiùs paulò pro quocunq; Accidente extrinseco ac-

cipim⁹. Ac proinde facile censurā nōneminis declinatos nos
 cōfidim⁹ qui ut in Theoriā suā Meteorologicā c. 1. Præc. 3. The-
 or. 4. in Syllogismo illo (*Ubiq; datur propriū ignis, ibi datur i-
 gnis ipse, in aere tempore æstivo, datur propriū ignis, E. Instit. Phys.
 Dn. Sperl. l. 5. c. 1. quæst. 1.*) fallaciā ait cōmitti à dicto secun-
 dum quid ad dictum simpliciter, cū calor quidem sit ignis
 attributum & per se in igne solo, non autem proprius ejus-
 dem effectus, nec ab igne solo. Et cap. 2. præcept. 22. Eum
 Stellam cadentem male referri ad seriem Meteororum Em-
 phaticorum putat, cū reale & hypostaticum sit, quoniam,
 ex Effluvio pingui ac sulfureo incenso oriatur, non secus ac
 Draco volans & capra saltans: ita cap. 1. præc. 1. inquit, *se non
 suffragari ei ponenti loco Generis Meteori affectionem, quia termi-
 n⁹ hic æque late pateat, & Prædicamentorum scalas plane superet.*

§. 8. Differentiam specificam desumimus tū à Subjecto Me-
 teororum, tū à Forma.

§. 9. Subjectum Meteororū sunt effluvia, quæ è terris &
 aquis potissimum virtute siderum extrahuntur, & vel simpli-
 cia vel mixta sunt; illa atomi dicuntur, ista fumi & vapores.
 Cum enim Meteora à nobis habeantur pro puris Accidenti-
 bus, meritò subjectum quoddam inhesionis postulant, cui
 inhæreant, cum Accidentis esse sit inesse.

§. 10. Forma Meteori est representatio illorum Effluvi-
 orum in aliā atq; aliā figurā & specie, seu alia configuratio a-
 lio atq; alio modo disposita. Unde una eadēq; substantia mo-
 do cis, modo trabis, modo ignis fatui, modo ignis lambētis,
 modo nebulæ, modo nubis, modo nivis, modo venti, modo
 terræ motus rationem subire potest, pro alia atq; alia loci &
 agentis diversitate, ac prout una & eadem aquæ substantia
 nunc liquida, nunc elevata, nunc depressa est.

Theorema II.

*Causæ Meteororum sunt Efficiens, Materia, Forma,
 Finis.*

Ἐκθεσις.

§. 1. Cum cognitio nostra, quam habemus, absq; causa-
 rum

rum præscientia non modo imperfecta, sed & obscura atque confusa sit, etiam in causas Meteororum inquiremus paulò diligentius, cum ex iis oriatur omnis nostra scientia. Felix qui poterit rerum cognoscere causas. Procedemus autem juxta consuetum causarum ordinem, ut Efficientem primò, deinde Materiam & Formam, tum Finem Meteororum speculemur.

§. 2. Efficientem Meteororum causam duplicem statuim⁹: unam Extraordinariam, quæ miraculosa & insolita Meteora producit, alteram Ordinariam, quæ ad consveta Meteora hic & nunc concurrir.

§. 3. *Extraordinariam* vicissim geminam reperimus, Deum Conditorum ac Gubernatorem universi, & Cacodæmonem Diabolum. Hinc Megalander Noster Lutherus in cap. 9. Gen. de Meteoris dicit, quod quædam sint Dei, quædam verò Diaboli, & rejicit ferme illas causas quæ ex Aristotele de Meteoris adducuntur. Sic enim loquitur: Die einige beständige vnd gewisse demonstration ist / das dieselbige Feuerzeichen in der Luft oder impressiones, wie man sie nennet / alle Gottes Werke sein oder auch der Teuffel. Et alibi. Was hierbeyon auch natürliche Gedancken vnd speculationes sein / verachte ich auch nicht aller dinges / weil es aber nicht gewisse vnd beständige demonstrationes sein / trau ich ihnen nicht viel zu / vnd sein die Ursachen die Aristoteles von einer wässrigen vnd hohlen Wolcken anzeigt nicht gewiß. Et iterum: Nulli unquã libro minus credidi quam Aristotelis de Meteoris, quod hoc fundamento nititur, omnia fieri ex meris causis naturalibus.

§. 4. Deum interdum immediatè concurrere ad productionem miraculorum Meteororum, id extra dubium esse putamus. Nam non modò eum in finem aeris regionem tam amplam, latam ac altam condidit, ut commodum hospitium ac patens campus Meteororum sit, sed immediatè producit sæpe ejusmodi Meteora. Sic pluviam supernaturali inundavit primum mundum Gen. 7. 11. Sic producebat grandinam ingentem qua trucidavit hostes Israëitarum Jos. 10. 11.

Idem

Idem potentiam ac Majestatem suam ostendit Elia in vento, terra motu & igne l. Reg. 19. ii. seq. Jonstonus scribit in *Admir. Meteor. c. 12.* quod Anno 1545. altero post Pentecosten die, visa hæ in Silesia imagines fuerint: Duxit ab oriente instructam ursum aciem, cui ab occasa armata manu Leo occurrit, intra Exercitum utrumq; lucidissima emicuit stella: mox inter sese congressi, dimicarunt acriter, ut destillare ex faucibus sanguis, & ex anima corpora decidere viderentur. Inter præliandum Aquila sese supra copias Leonis, de alta rupe, alarum libavit remigio. Diremto quasi certamine, Leo inter suas fulsit cohortes, nullum Ursum vestigiis, sed prostrata jacuerunt cadavera, qua alter constiterat Exercitus, quibus canicie venerandi astiterant senes. Finito prælio reduxit Exercitum ad occasum Leo, quo aliquousq; progresso, quidam albo & ornato vectus equo, ad pugnae locum à copiis rediit, atq; in eum equum juvenem cataphractum, ibi stanrem collocavit, & versus ortum procedentem comitatus, cum coeteris speciebus evanuit. Et *cap. 9.* memorat: Valentis tempore lapidibus magnitudine inusitata grando descendit Constantinopoli, *Socr. hist. Eccl. l. 4. c. 10.* Urbe ab Alarico capta, saxi manuarii major, & octonarum circiter librarum pondus habens, deferri visa est. *Majolus in Canicul, in Gallia Paschali Pontifice, unum frustum 12. pedum decedit longitudine, Bonfinius. Apud Augustodunum 16. longitudine, 7. latitudine, altitudine duorum.* *Sigebertus. vix minor Bergomatis tempore. ovo enim struthionis comparatur, & unciarum 12. fuisse scribit Bonfinius. Trium librarum pondere Bomelæ in Geldria die duodecimo Junii, hujus Anni decidisse ajunt.* Aliquando miras formas præ se tulit. *Humanas Anno 1395. exhibuit facies, viriles cum barbis, muliebres cum peplis & crinibus. Christi Cremonæ anno 1240. cum crucis signo. Sed sæpe fallimur, & imaginatio existere fatetur; & imaginatio existere fatetur, quod recta negat ratio. Mirabilia interim opera Dei. Sic Conimbricenses in libr. Meteor. Tract. cap. 3. ex D. Antonini part. 1. Chronic. referunt: Cùm Senatus Romanus Augustum pro Deo colere decre-*

mobi

decrevisset, evocata in Cameram Sibylla est, ut an Augusto aliquis successurus esset, responderet: quæ circulum aureum in sublimi fulgentem, cujus medio virgo erat puerum complexa, Imperatori ostendit: auditaq; confestim vox fuit: *Hæc est arca cœli.* Tunc Imperatorem Sibylla monuit, ut puerum illum adoraret: atq; inde prædicta camera, *Ara cœli*, dicta est. Unde Mantuanus:

Fulgentem nitido monstravit in aethere circum

Iridēq; inclusam parva cum prole parentem:

Atq; manum tendens, vultuq; ad sidera verso,

Ille puer Deus est, inquit.

Referimus huc quod in Ungaria, Anno 1643. d. 11. Jan. accidit, ubi in tractu illo, qui Budæ & Strigonio interjacet, tempore meridiano, quinque globi igniti in aere inter se collisi, multos ictus, instar tormentorum cum horrendo fragore emisserunt, præterea etiam strepitus & clangor tubarum ac tympanorum ingens, ac si hostiles acies inter se conflictarentur, auditus est, atq; ostentum hoc per tres ferme integras horas, non sine maximo horrore, ab illius loci Incolis perceptum atq; visum est. Ac propter Strigonium in præterlabente Danubio, ingens piscium copia erectis extra undam capitibus innatarunt. Ac sequenti mane pluit stanno ac plumbo, quod Turcæ patinis exceptum Bassæ suo Budam attulerunt. Concurrit itaq; Deus ad Meteora talia specialius, quam ratio causæ universalis requirebat; tum inusitatâ generatione, ut quando siligine, sanguine, carnibus, stanno &c. pluisset historiæ relationes narrant, tum inconvetâ impressione, ubi figura est prorsus inusitata & mirifica licet subjectum seu materia naturalis sit, ac hujus rei causæ cognosci nequeunt, ut cum in aere Exercitus pugnasse, aut alia ejusmodi Meteora & ostenta, se exhibuisse, cum singulari significatione, quo pacto Iris erat signum Gratia Divinae, & sic deinceps.

§ 5. Subest verò nonnunquam etiam *Diabolus* ipse, communis totius Humani generis & capitalis ac juratus hostis, qui ut Princeps Aeris prodigiosa ostenta non rarò excitare recte

B

credi

creditur. Quantumvis enim nolimus inficias ire, sapissimè
Diabolum, tanquam Spiritū subtilissimū, & ad sensus huma-
nos præstringendos aptissimū, sive per se, sive per Magos & os
glaucoma saltim & offucias oculorum hominibus objicere,
ut existiment cælum terramq; moveri, micare crebris ignibus
ætherem, pluvias & grandines oriri, cum tamen nihil minus
contingat; non tamen & illud diffitendum erit, ipsam cea-
potentissimum ac truculentissimam Humani Generis hostem
revera interdum damna & mala per naturalia Meteora à se
variè hinc & inde comportata, ac in actum deducta immitte-
re. Nam ut B. Lutherus dicit: *nisi Providentia Divina certis
semper cancellis Satanae includeret furorem, nec pisci ulli in aquis
nec grano in agris, nec vini guttae aut cerevisia in cellis, nec frusto
carnis in ollis, veneno parceret, nulliq; corporis nostri membro in-
tegra constaret sanitas.* Itaq; si Deus ipsi permittat, facile acti-
va passivis applicare, adeoq; è Naturâ Materiam ad edenda
Meteora accipere, eademq; vel immediatè producere potest,
quomodo ignem immisit in pecora Jobi, & ventum vehe-
mentem in domum ejus, vel mediantibus sagis & mancipiis
suis, quæ maligno huic Spiritui, ut Comites ejus ac satellites
fideles assistunt dicunturq; aliàs Lamia, Divinatores, Pytho-
nici, Incantatores, Fascinatores, Præstigiatores, Necroman-
tici, Venefici, Sortilegi, Arioli, Augures, Aruspices, Verra-
trices, Striges. Qui quæq; omnes, quia in perniciem homi-
num cum Parente suo Diabolo foedus pepigerunt, ideò vi hu-
jus foederis quantum potest, concedit ipsis vim ad excitan-
da Meteora, & ad mala inferenda hominibus. Et quanquam
sæpe miselli hi homunciones à Diabolo ludantur & circum-
agitantur, ut dum ipsis hanc potestatem in Elementa conce-
dit, ideo firmiter credant, se sua virtute & suis adhibitis gesti-
culationibus hæc patrare posse, tamen re ipsa Satan, tanquam
antiquissimus & experientissimus Physicus, cum tonitrua &
fulgura prævidit, tunc apud sua mancipia jactat, se jam ejus-
modi Meteora excitare velle, aut si ipsis luberet, concedit il-
lis hanc facultatem.

§. 6. Efficiens ordinaria vel communis est & universalis,
vel

vel propria & particularis. Universalis tum Deus tum sidera. Sicut enim Deus totam Naturam creavit influxu creativo, sic eandem hodieq; conservat & gubernat influxu conservativo. In ordinariis quippe Naturæ operibus, neq; Natura sine Deo agit, neq; Deus sine Natura. Post Deum Sol, Luna & omnis siderum Exercitus, qualitate & influxu luminis sui coelestis, ex Elementis, ac præprimis ex aqua & terra effluvia excitant, & attollant in aerem, & ita extractis his halitibus novam formam, figuram ac speciem imprimunt. Memorabiliter hanc in rem ait Garcæus cap. 6. p. 14. Doctrin. Meteor. *Quid suavius est, quam videre mirandum consensum cæli & aëris proximè vos ambientis, qui facillime sentit Planetarum inter se congressos aut oppositos radios, atq; stellarum etiam vel minimarum cum sole exortus & occasus, ut experientia manifestè ostendit. Quantò enim stella minores videntur, eoq; etiam dubio procul altiores, & à terrâ remotiores, tantò majorem vim habent afficiendi & turbandi aërem. Hinc Sirius occasu Heliaco aërem urit, & torrefacit. Tempestates pluviosas cum circumstitis succulis Paliliciam commovet. Intonat & grandine ferit Arcturus. Fundunt aquas Plejades. Imo Aselli & Præsepe, obscurissima stella, in pectore cancri posita, quæ non nisi serenissimis noctibus cernuntur, cum Sol, Luna, Mars, ad illas accedunt, plerumq; aërem imbribus turbant, nisi universales cause, pluviarum materiam absumentes, obstiterint. Particularis & proxima est multiplex atomorum ἀτομωσις & ἀσπυσις, seu congregatio & disgregatio, de qua egregie B. Sennertus scribit Hypomn. l. 3. c. 1. Meteora certè plerumq; tantum sunt Elementarium atomorum varia congeries. Exhalationes enim & vapores, quod vulgo creditur, non corpora continua sunt, sed congeries infinitarum atomorum: id quod ex vaporibus, ex aqua, quæ ad ignem calefit, ascendentibus, manifestum est. Hi enim etsi procul corpus continuum videantur, tamen qui prope est, aut qui in montibus aëre nebuloso ambulat, vel visu discernere potest, vapores tales non esse continua corpora, sed atomorum congeriem. Nubes nihil aliud sunt, nisi infinita atomorum multitudo.*

§. 7. *Materiam* Meteororum quod concernit, non tribuimus ipsis materiam *Ex quâ*, quippe quæ saltim principium Constitutivum corporis Naturalis est, ideoq; Meteoris, utpote nudis Accidentibus neququam competit, sed saltim *In quâ* seu subiectum inhesionis. Effluvia nempe illa ignea, aquea, & spiritiosa, quibus diversimodæ istæ & admirandæ facies ceu imagines ceræ, aut characteres sigillo imprimuntur, Idem de *Forma* dicendum, quæ non datur hoc loco *Substantialis & intrinsecâ*, quippe quæ alterum principium constitutivum corporis Naturalis est, sed saltim *Accidentalis & extrinsecâ*, figura nempe illa & Dispositio Effluviolorum multiplex.

§. 8. *Causam* Meteororum *Finalem* quod attinet, hanc damus, quod Meteora præter communem Universalem Finem nempe Gloriam Dei, eximie nobis ostendant ac ob oculos ponant immensam ejus sapientiam ac potentiam, & quod prædicent nobis contingentes ac futuros tempestatum, serenitatum, aliarumq; rerum Naturalium eventus, ac imprimis ut impuram, ac venenatis halitibus infectam aeris regionem purgent, noxia ac lethalia absument, propellant, ac omnia salutifera reddant.

Theorema III.

Dividuntur Meteora in Hypostatica & Emphatica.

Ἐκθεσις.

§. 1. Dispescuntur Meteora à diversis diversimodè, prout cuiq; suum caput & sua sententia est. Quidam causæ Efficientis respectu faciunt ea, vel Naturalia vel prodigiosa alii ratione Finis in significativa & non significativa distribuunt; non pauci ratione durationis in diuturniora & constantiam status sui aliquandiu retinentia, & breviora, seu subito evanescencia partiuntur. Nobis placet cum Excellentissimo Dn. Sperlingio trita viâ ingredi & usitatissimam Meteororum generalem Divisionem retinere, quæ ab ipsa eorum formali conditione deprompta est, ut dicamus alia esse *Φάσματα κατ' ὑπόστασιν*, alia κατ' ἐμφασιν.

§. 2. Hypostatica dicuntur quæ formam eandem habent realem, quâ se conspicienda præbent; sic nix & glacies revera sunt

ra sunt id, quod esse videntur. Vocantur ita, quia ὑπόστασις seu substantiam habent. Subdividunturq; iterum ratione Materiae in ignea, spiritiuosa ac aquea, & ignea vicissim à plerisq; in ea quæ contingunt in aeris sive suprema, sive media, sive infima regione, de quibus hic in specie dissertare propositi ac instituti nostri non est. Emphatica dicuntur, quæ apparentia tantum sunt, nec realem quâvisuntur faciem habent, sed tantum species & figura illorum se ostendit, ut chasma, Pareselene Parelius. Apellantur ita quia ἐμφασιν nudam & inanem speciem habent.

SECTIO POSTERIOR

EROTEMATICA.

Erotema I.

An Meteora sint corpora imperfectè mixta?

Επίλυσις.

§ 1. Tota Disciplina Physica in Generalem & Specialem partem distribuitur. Generalis Causas & Affectiones corporis Naturalis, specialis species pertractat. Species dividuntur in corpora simplicia, qualia cœlum, stellæ & Elementa sunt, & mixta. Hæc propterea communiter partiuntur in perfectè mixta, quæ constant ex quatuor Elementis, & imperfectè mixta, quæ ajunt esse Meteora, ideo, quia vel Meteora generentur ex inconstante & infirma Elementorum concretionem, vel respectu ad corpora animata, vel respectu subitæ generationis ac dissolutionis, vel respectu Elementorum, quia Meteora nō ex omnibus Elementis, sed saltem ex quibusdam conflata sint, vel quia non ex quatuor Elementis ut formæ rerum absolutarum ad diuturnitatem producantur, sed quod ex Exhalationibus tantum citò existant, & citò dissolvantur, vel quia mixtio hæc non sit secundum substantias, sed tantum secundum qualitates.

§ 2. Hanc sententiam suam telis nonnullis, sed infirmis propugnare conantur. Nam dicunt; Meteora necesse esse ut sint corpora Naturalia, quia omnia Meteora constant Materia & Forma, vel quia causis his constitutivis corpus Naturale gaudeat, sequi ea esse corpora. Præterea, quia Corpora vel

simplicia vel mixta esse soleant, hæc verò haut sint perfectè mixta, quia non constant ex omnibus Elementis, nam grando, nix, pluvia, fulmen, terrifica & eximia sunt *Meteora*, non tamen omnibus ex Elementis confecta sunt, relinqui itaq; hinc *Meteora* esse corpora imperfectè mixta. Ac licet daretur, quædam *Meteora* plane non esse corpora, quia tamen potiora ac præstantiora *Meteora* corpora sint, invictè sequi, quod & omnia *Meteora*, corpora sint salutanda; siquidem à potiori fieri denominationem, consuetudinem jam olim obtinuisse. Probant id porrò ratiociniis subsequis: Quicquid producitur ex Elementis per veram mixturem, id omnino est substantia, eademq; corporea. Atqui *Meteora* producuntur ex Elementis testante Experientia. E. Item. Quicquid extenditur in longum latum & profundum, est corpus & substantia. Atqui *Meteora*. E. Idem ex absurdo conficere tentant: nã inquirunt: *Meteora*, aut sunt corpora aut Spiritus, sed non Spiritus. E. sunt corpora.

§. 3. Responsum in genere damus I. *Meteora* quatenus talia, non nisi mera ac pura Accidentia esse. Cum enim Effluviis, puta vaporis aut fumo impressiones istæ accedunt, quid nisi Formæ meræ accidentales superadduntur? Materia certe una eademq; manet, & extrinsecè saltim atq; accidentaliter aliter atq; aliter disponitur. Quod per Exempla singulorum *Meteororum* digredienti ad oculus patet. Jam verò accidentalis saltim rei alicujus variatio substantiam aliquam corpoream producere non potest. In specie ad primum respondemus, *Meteoris* quatenus *Meteora* sunt, neq; Materiam Physicam propriè dictam, neq; Formam substantialem competere, sed saltim Materiam in qua, & Formam accidentalem. Ad secundum; nulla prorsus dari *Meteora* quæ corpora sint. Iris, Paraselene ac Parelius, potissima *Meteora* sunt, nil tamen ibi nisi figura aut imago. Terræ motus non ignobile *Meteorū* est, corpus tamen non est, sicut nec canis aut hominis motus, sed Affectio saltim corporis. Cùm à potiori dicitur fieri denominationem, tunc utrumq; Analogatorum, aut plura rationem Analogi inæqualiter quidem, verè tamen participare debent,

debent, quod hic nequit applicari. Ad tertium respondemus
Minorem inficiando. Ad quartum Instantiam partim damus
ad Majorem propositionem, de radiis, lumine, spatio; partim
distinguiamus inter Quantitatem materialem seu realem &
spiritalem seu intentionalem. Illam Meteoris concedimus,
hanc denegamus. Ad ultimum regerimus, Divisionem illam
in spiritum & corpus Substantiæ saltim esse, non autem Acci-
dentis. Probandum ergo prius fuerat Meteora substantias es-
se, tunc dispici quoq; posset num corporeæ num incorporeæ
forent. Quas pro communi hac sententia rationes alias pro-
ducere solent, adductæ & discussæ sunt à Celeberrimo Dn.
Sperlingio in Instit. suis & Exercitat. Physicis.

Erotema II.

*An propterea tollatur species aliqua Corporis Naturalis,
cum Meteora negantur esse corpora imperfectè mixta?*

Ε'πίλυσις.

R. Nō rejicimus prorsus distinctionē corporū Naturalium in
perfectè mixta, & imperfectè mixta, sed approbamus potius. Si-
cuti n. mixtio duplex est, una imperfecta, qua miscibilia im-
perfecte miscētur, altera perfecta, qua miscibilia perfectè mi-
scentur, sic & duplex mixtum constituitur, ex illā imperfectū,
ex istā perfectum. Non enim Natura simul & semel suum opus
absolvit, neq; saltum facit, sed ab imperfecto ad perfectum
tendit, & primum mixta imperfecta, post perfecta producit.
Aurum cum generatur, non uno momento perficitur, sed ru-
dimenta sua habet, ac paulatim magis magisque excoquitur,
donec exurgat ad debitam perfectionem. Nec homo perfe-
ctus primā statim conceptione producitur, sed primum γονή
adest, deinde κύημα, tum demum ἔμβρυον & παιδίον. Non
tamen propterea peculiaris species imperfectè mixtorum cor-
porum constituenda est, cum una eademq; species pro diver-
sitate temporis, modo imperfectè modo perfectè mixtū cor-
pus exhibeat. Itaq; qui negat Meteora corpora imperfectè mi-
xta esse, non negat propterea omnem imperfectā mixtionem,
multo minus speciē aliquā corporis Naturalis negat, cū Mete-
ora species Physicæ non sint, sed specierum saltim affectiones.

Erote-

Erotema III.

Quis sit Usus Doctrinae Meteorologicae?

Ἐπίλυσις.

Maximam Meteora habere utilitatem, nemo nisi qui incuriosus Dei ac sui ipsius, totiusq; Naturæ fuerit, in dubium vocabit ac inficias ibit. Commoda namq; sua insignia habent. Conferunt enim tum respectu totius Systematis mundani, tum respectu Partis seu hominis. Exornant mirificè Naturam universi. Quid enim pulcrius Iride, quid halone præstantius, quid Paraselene mirabilius, quid face aut trabe splendidius, quid Terræ motu violentius, quid scintillâ volante velocius? Conducunt & Homini. Quid atheum fortius & validius ad agnitionem peccatorum suorum perducere potest, quam perhorribilis Tonitruorum sonitus, quam tremendus fulminis ictus, cum enim talia contingere videt, agnoscit Dei potentiam & sapientiam, deflet peccata sua, ac vitæ suæ perversitatem corrigit, adeoq; faciunt ad curationem ferorum, ac barbarorum hominum? Immo omnium hominum mentes & animos ad Deum convertunt, cum enim tales tempestates se ostentant, proh Deum! quot myriades cantionum, precum & suspiriorû piorum, quot, apud supersticiosos pulsus & sonitus campanarum audiuntur? Prædest & hæc Doctrina moribus. Singulos enim monet de imbecillitate humanæ mentis, & vitanda falsa Sapientiæ persuasionem, ut cum omnium Meteorum sufficientes causas ostendere nemo possit, animosq; hominum suspensos faciant sive *μετεωρολογίαν*, cogitemus illud Hippocratis esse verissimum, Ars longa, vita brevis, & hæc ipsa mutila imperfectaq; cognitio excitet in nobis ardentem amorem vitæ æternæ, in qua ipsum Filium Dei, Doctorem de rebus maximis Creationis & Redemptionis nostræ, ac totius machinæ mundi structura, verè æterna Meteorologia, dulcissimo colloquio, sine ænigmate, differentè audiemus. Addit Meurerus in Quæst. Meteorol. aliud cōmodū Meteorologicae Doctrinæ, dū juvare magnopere asserit studia discentium, in cognoscendo distillationum artificio, & novis inventionibus augendo & lo eupletando, quoniam omnes Meteorologicae actiones fermè aliud nihil sunt, quam Naturæ in majori mundo sublimationes, ut vocant, seu distillationes Chymicis non absimiles. Nos pedem hic figimus & ad Deum Autorem ac Governatorem totius universi conversi Hymnum hunc Davidicum accinimus: Laudate Dominum Ignis, grando, nix, glacies, spiritus procellarum, quæ faciunt verbum ejus

Ps. 148. vers. 8.

WEITENBERG, Diss. 1652

ULB Halle

3

002 716 461



TA 30L

VD 17







B.I.G.

Farbkarte #13

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

1652 5. 8. 19

mitate!
EOROLOGICA I.

RIS IN RE.

lax. annuente
phica consentiente,
Academia Wittebergensi,
IDIO
simi VIRI,
IS POMARIII,
Philosophicæ Adjuncti
Dignissimi,
eternum honorandi,
si submittit
US Vratisl. SiL.
ondens.
Anno 1652.
is antemeridianis.

JOHANNES HAKE.
LII.

